Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Preterea omni die festo plurimos
pauperes ad mense opera vocat. quibus ne-
cessaria erant affluente copia mini-
strans. Item cottidianis diebus ter quaternos
habere solitus erat. quos in amplitudine nominis
honorem dape et potu saciat. Raro autem ex-
tra festum aliquid vidit eum meridianus sol
manducantem. et numquam media nox sono
indulgentem. Stat lectus altus plumis
et ostro rigidus. die oculos hominum pascens.
nocte vero aut habuit fratrem gaudencium
aut certum na[illegible]tum. Erat quos suo cubi-
li amicissima [illegible]cula. familiaritate iunctos
et se terauit [illegible]. nemo quantus recubuit
in una domo [illegible]. Ipsi vero nuda humus
vel leve cilicium. et lapis pro capitis susten-
taculo somnum dabant. Numquam saturo
ventre it dormitum. et non diu expleto so-
pore surgit ad solite orationis continua.
Corpus vero et corporis incentiua acerri-
mis attriuerat ieiuniis. nec umquam ulli
voluptati animum dare volebat. Parva
quies oculis. et nulla venia est defectis pe-
dibus. Lustrauerat enim carcerem et in carcere
positos. quorum longa series et infinitum
agmen erat. Nulli plus nota propria domus
quam sibi erat. quis quo nomine. et in qua
parte cubaret infirmus. aut quod capi-
ta rediuiua salus vite. quod fatalis hora
mitteret leto. Quorum omnium post pia ob-
sequia. si feminis tempus erat ad campos
decurrit. et sa cione pacta. unde viveret
propriis manibus se laborasse gaudebat.
Fuit viator intrepidus ad erat sacris e-
dibus. sepius domino peccator importunus. cele-
stes fores pulsat. nunc longis genuum
flexionibus orationem protrahit. nunc erga
suspiria cordis multo flumine rigat.
De completorio usque ad primam non exiit ver-
bum de ore eius. et ad instar monachi
de professionis. nocturna silencia seruat. Post
primam pastoralibus causis studia sua im-
pendit. audiens diligenter quod cum predato
paupere peregrinus et vidua eiularent.
Quando autem exteriore vacabat cura. usque
ad misse celebrationem dauidicis utitur al-
loquiis. Homini non locutus est verbum
quam diu divine mense in fulatus astitit. et
super sancta sanctorum immolat angelicum panem.
Post autem opera manuum laborat. aut cum
caris capellanis sacre lectionis cibaria
gustat. His operibus longum diem. talibus
negociis totum solebat ducere noctem. Hi
sibi mores. hoc studium. hec erat meta vi-

Post completorium cum solitis uendi.
orationibus incubaret. quidam pauper
cui nil preter vitam et membra impius
latro reliquit. miseris ululatibus
templi ostia pulsat. Quo audito. cum de-
erogatis opibus nulla super fuissent. ce-
pit curiosius excogitare quid illi dare
posset. Et cum nil aliud occurreret. in-
gressus cubile quod solum habuit. tulit
inde sericum puluinar. cui abstrahens
sericum plumas circumquaque per domum re-
spersit. deinde ad iacentis mendici clamo-
rem recurrens. inanem purpuram in
rugas complicauit. et per occurentium ianu-
arum foramina emittens. hoc fertili
dono manum pauperis accumulauit. Cuius
furti auctor cum latteret. cumque vellicona
domus sue prepositus hoc inter pueros asperius
inquirere vellet. prohibuit eum dicens.
Nequaquam inimicus homo hoc fecit. sed
qui indigens erat. forsan pro explenda ne-
cessitate assumpsit.

Inter hec sancta opera non desierant plu-
ere predicationis verba. nec sibi soli
bonus. nec nisi cum pluribus celestium
gaudiorum particeps esse voluit. Sic